

Jacob Gerhardi Johannes Jacobus Scultetus

Aphorismi De Generatione Hominis ...

Rostochi[i]: Pedanus, 1622

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729274403>

Druck Freier  Zugang



J. Sehardi (J. J. Schult)

R. U. phil. 1622.

Aphorismi
DE
GENERATIONE
HOMINIS

JEHOVA OBSTETRICANTE,
In florentissimâ & Famigerabili Academiâ
Rostochiensî

Ad disputandum propositi

PRÆSIDE

M. JACOBO GERHARDI

Respondente

JOHAN-JACOBO SCULTETO

Argyropolitano.

Ad diem Maij Anno M. DC. LXXII.



ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.



Illustri ac Generosissimo
DN.
DN. JOANNI CHRISTOPHORO
KOCHTITZKY L. B. à Kochtitz &
Lublilienetz in Kossentz in &
Turrawva &c.

Generosis ac Nobilissimis Viris
DN. JOANNI VOLPERTO *von Schlitze genannt von Götz*
DN. FRIDERICO WILHELMO *Equitibus Francis, fratribus*
Germanis.
DN. JOACHIMO *von Nessen //*
Megapol.

Dnm. Fautoribus ac amicis perpetuo colendis,
honorandis

Exercitium hocce Medico-Physicum
debita observantia & gratitudinis ergo

DEDICAT

Joannes Jacobus Scultetus
Argentinae Alsatiae





Aphorismus I.



Generatio hominis non est ex illarum rerum censu (ut putant qui Curios simulant) quarum cognitio ex orbe Philosophico proscribenda, sed potius pro turpitudine ducendum, ceterarum & viliorum ortum laboriosè indagare, & suiipsius ignorare.

2. *Ex hac enim consideratione pra alijs clarè elucescit divina BONITAS, SAPIENTIA, & POTENTIA.*

3. *Quin & omnium naturalium naturalissimum est, generare sibi simile, dicente Aristotele, magno illo Gracia miraculo.*

4. *Quolibet enim ad perpetuitatem & aternitatem anxie aspirat, quam ob rem tantà curâ seipsum defendit, cuius etaq; nocitura declinat.*

5. *Hinc Individua, quia sentiunt se mortalia & dissolubilia, alia sibi similia in suum locum reponere discupiant, per qua procreatione quasi repuerascendo, quodammodo perpetua fiant, Speciesq; perennet.*

6. *Hujusce rei causa Natura fecit Marem & Foeminam, gemina generationis principia, ita se habentia ut nec mas per se & solitariè, nec famina sola hominem perfectè generare possit, sed utriusq; arcta conjunctio praequiratur, & utrumq; sexum conferre id quod suum est, sit necesse.*

7. *Non tamen est specifica & essentialis differentia inter marem & faminam, quia homo est Species infima, qua ulterius per differentias essentielles non dividitur.*

8. *Aristoteles* I. de gener. animal. c. 2. docet maremas
& feminam differre (1.) ratione, quod facultas utriusq; diver-
sa (2.) sensu quod partibus quibusdam discrepant. Non in-
spide.

9. Etenim **GENERANS**, seu quod gignit est qui-
dem sexus uterq;, non tamen eodem modo, sed mas est id quod
motus & generationis originem tenet, femina quod materiam
confert, Arist. I. c.

10. Semen quidem mulieribus non denegamus; imo au-
dacter pronunciamus, qui illo eas spoliant manifesta experien-
tia & oculari demonstrationi contradicere, & oportere fateri,
testes in mulieribus à natura frustra conditos, quod absurdum.

11. Veruntamen prout testes muliebres minus crassi, com-
pacti, obq; id frigidiores, parastatis itidem admodum exilibus
stipati: ita semen femininum frigidius & imperfectius virili,
adiq; rationem principij passivi solum; & non activi obtinet,
ut expresse docet Arist. I. de gen. anim. c. 20. ita scribens:
Mas formam & principium motus prabet, femina corpus &
materiam. Et cap. 21. ait: femina quò femina patiens est, mas
quò mas agens & unde movendi principium.

12. Ut hæc ex genuinis suis principijs eruamus, compelli-
mur arduam & satis vexatam quæstionem de ortu animæ ra-
tionalis tangere. Idcirco contra Scholasticos Jesuitas & Calvi-
nianos adserimus, Mentem seu animam rationalem non imme-
diatè à Deo creari & infundi in corpora perfectè elaborata, sed
à parentibus unà cum Semine traduci.

13. Nam fingere creationem animæ humana est negare
hominem generare totum hominem, & in hoc brutis inferiorem
facere.

14. Imo quod maximum stante creatione, collabascit pec-
catum originis, aut in Deum authorem transferendum quod
impium.

15. Nimis

15. Nihil crassum est de vilamentum eorum qui volent
corpore contactu animam inspicere, eidemq; peccatum communi-
care, nempe quod non habet, veluti est ignorantia mentis, ma-
licia voluntatis est.

16. Non minus ardua est questio hac, Utri parentum pro-
pagatio illa anima adscribenda? Ad quam respondemus, Patri.
hoc enim Sonore facit Scriptura Gen. 5. v. 3. dum ait, Ada-
mum genuisse filium ad imaginem suam. Et Gen. 46. v. 26.
anima dicuntur egressa e femore Jacob.

17. Obijcit quidam: Metuendum est, ne longè ante defi-
ciat anima Parentis, quam ut omnibus liberis, præsertim si sunt
numerofiores, animas ex sua anima, impertiri possit. Ad quam
rem facit imprimis memorabile exemplum, quod extat in hi-
storia Belgica, de Comitissa quadam nomine Margareta, qua
tot liberos uno partu enixa, quot in anno sunt dies.

18. Ad hoc inquam: istud metuere, est potentia divina
destrahere & vim primæ benedictionis Gen. 1. v. 28. Crescite
& multiplicamini, evacuare.

19. Non tamen imus inficias, modum hujus propagationis
formalem nobis incognitum, adeoque id est scire, id idem autem
ignorare idq; sine dedecore, cum humana Sapientia pars sit,
quadam æquo animo ignorare velle, ut loquitur alicubi Rev.
Dn. D. Affelmannus: Præceptor noster honorandus.

20. In semine ergo Maris est vis *πλαστική* seu formatrix,
quia ipsa anima, qua illius subjectum est, unâ cum semine tra-
ducitur. Ideoque ipsa anima, mediante facultate formatrice, cor-
pus varijs membris distinctum suumq; domicilium futurum fa-
bricat. Vide Scalig. exer. 6. l. 5. & seqq.

21. Non tamen denegamus famina omnem actionem si-
quidem concurrat activè 1. consiciendo semen & conferendo san-
guinem pro nutritione 2. calore factum fovendo &c.

22. Caterum cum ad omnem officij functionem opus sit in-
a 3. strumen-

frumento, instrumentaq; facultatibus accommodata sint partes corporis, ad procreationem quoq; & coitum esse partes aliquas accommodatas necesse est, easq; inter se diversas.

23. Hujusmodi partes sunt in viris Penis, in mulieribus Uterus.

24. Nam vasa Spermatica preparantia & deferentia materiam, numero & exortu conveniunt in viris & mulieribus, suntq; dua vena & totidem arteria, utrinq; una. Differunt tamen hac vasa (1.) magnitudine, siquidem in maribus sunt majora, & inter se per anastomasin junguntur. (2.) in insertione, quia in maribus indivisim in elatiorem testium partem terminantur: in feminis autem priusquam testes attingunt, in duas partes dispeſcuntur, quarum una scilicet major corpus varicosum constituit, & testes subit, ut humor ea contentus in semen convertatur, altera autem quae minor, in latera fundi uteri distribuitur, ad deponendam illic copiam sanguinis pro nutriendo factu necessariam, quae in non gravidis per intervalla menstrua expurgatur.

25. Vasa materiam elaborantia sunt testiculi, & tam in feminis quam in viris reperiuntur, licet quantitate, qualitate, & situ discrepent.

26. Quam praclarus virorum thesaurus sint Testes, inde satis patet, quod illis exsectis, etiam deprehendatur extinguimus masculus & virilis animus (hinc galli castrati non cantillant, & equi evirati minus animosi) totaq; forma in tantum commutetur, ut femina esse videantur, Aristot. I. de gen. an. c. 2.

27. Semen elaboratum & prolificum in uterum generationis hortum spargit Penis, qui ob id constituitur ex corporibus extrinsecè duris & nervosis, intrinsecè autem fungosis & spongiosis, ut suam naturam quidem flaccidum propenderet (si enim esset osseus ut in canibus, semper staret instar cornu, ut loquitur Petronius

Ironius, multasq; actiones impediret) aliquando tamen, & quotiens opus est, irruente spirituum copiâ turgescens extendetur, ex cuiusq; ignaviâ exurgeret. In mulieribus semen utriusq; sexus suscipit ac fovet Uterus (situs inter intestinum rectum, quod ei subjacet, & vesicam quæ ei incumbit, ut verè dicatur homo generari inter stercus & urinam) de quo illud mirabile & notatu dignum, quod crescente fatu, ipse quoq; augeatur non solum amplitudine, sed etiam crassitie & corpulentia, ut circa ultimum gestationis tempus binos digitos crassitudine aquet.

28. **MATERIA** igitur ex quâ fit generatio est (sit honor verbo) **SEMEN**, quod est excrementum tertia concoctionis, utile, seu particula sanguinis purioris quo partes aluntur, ex nutritione redundans, & in testibus magis elaborata.

29. Hinc obæsis parum, macris plurimum est seminis, quia illis purior & magis aerea sanguinis portio in adipem abit, his vero in semen, Arist. 1. de gen. anim. c. 19.

30. Illa portio sanguinis spirituosæ quæ superflua in singulis corporis partibus & ad nutritionem non requiritur tanquam redundans, ex universo corpore elicitur & in vasa spermatica evocatur, ibidemq; majore copiâ spirituum perfusa, exquisitius elaboratur donec albescat, & crassior reddatur. Nam semen spiritibus viduatum est infacundum & inutile.

31. Et hoc sensu verum est, semen à toto defluere, non vero quasi in ipso concubitu quiddam ceu colliquatum, motu agitationeq; secernatur. Quanquam credibile, ab universo corpore spiritus derepente in testes irruere, ex validâ agitatione corporis quæ fit in coitu, cujus hoc indicium, quod titillatio vehemens (ut ajunt) tum corpus universum eximiâ voluptate officiat, Fernel. lib. 7. c. 4. Imo illud satis edocet debilitatio & noxa, quæ partibus suâ naturâ frigidioribus ceu sunt oculis & cerebrum, ex tali spirituum vehementi commotione inferri solet.

32. Ma-

32. *Modus ergo in Venere attentè servandus, quia nimis autemperantiâ corpus exsiccat, & senectus ac mors acceleratur. Si enim materia seminis est nutrimentum superfluum, necesse est illo per nimium veneris usum egesto, sequi & educi humorem qui non redundat, sed ad nutritionem necessarius, illoq; subtracto corpus debilitari. Ideoq; Lemnius lib. 1. de complex. c. 7. hoc considerare jubet eos qui inito primum matrimonio, frequenti concubitu domari posse credunt nuptas, cum illæ sint infatigabiles, ac viros funditus exhauriri & emedullari contingat.*

33. *Sed nec nimis diuturna intermissio damnis caret, siquidem semen (quod tanquam superfluum humorem & excrementum redundans Natura in progignenda subolis usum depromi & expurgari cupit, illiusq; excretionem intolerandi oneris molestiâ levare) diutulè retentum putrescit, unde tetri vapores sursum rapiuntur, ex quibus strangulatio uteri, cordis tremor & palpitatio, expultrice scilicet facultate ad excretionem turgentis humoris excitatâ, incubus nocturnus ob densissimos fumos ac fuligines quibus pericardium opprimitur, capitis dolor fadusq; & inamabilis color, ceu gilvus ac mustelinus, quibus virgunculas nobiles quæ serius ad connubium expetuntur, deturpari videmus.*

34. *Quod si autem (verba sunt Lemnij lib. 1. de occult. nat. mirac. c. 6.) tales mulieres pruriginosas, aut proventioris ætatis virgines connubio destinari contingat, ac semen subdito virili pessulo elici, protinus illas efflorescere videas ac faciem roseo nitidoq; colore perfundi, blandas deniq; & amabiles, præsertim ubi viros nactæ, qui valenter munus suum obeunt, atq; officio connubiali strenuè funguntur.*

35. *Ex his patescit Generans debere 1. esse instructum membris ad hoc negotium necessarijs, non vero mutilatum & orbatum illis. Nihilominus, quod Arist. 3. de hist. an. c. 1. scribit,*

bit. postquam exsecti testes vaccam inuisse, & gravidam reddidisse, etiam virum castratum prestare posse dicimus. 2. oportet ad istam pervenisse aetatem quâ membra generationi dicata perfectionem debitam adeptâ, ut suo munere fungi queant.

34. Hac aetas infaminiis desinitur annis 12. (quo tempore semen habere & menstrua fluere incipiunt) & 18. (tunc semen est perfectum & ad generationem idoneum. In viris as-
signat Arist. 7. de histor. animal. c. 1. annum 14. cum ait: mas primum semen genitale magnâ ex parte incipit ferre anno peracto bis septimo. Et lib. 5. de hist. anim. c. 14: semen ferre incipit circiter annos bis septem, sed vim genitalem recipit circa annos ter septem.

35. Res homini innotescit, tum vocis mutatione in sonum asperiores in aquabilioresq, tum etiam testium magnitudine, tum ex mammis, sed præcipue ortu pilorum pubis. Simul enim pubescere incipit eo tempore, ut stirpes semen latura primum florere, Arist. l. c.

36. Multi tamen tempus hoc ordinarium anticipant, ut docent exempla quæ videri possunt apud Borcholten ad tit. de nupt. in Instit.

37. Quanquam & in his verissimum quod Arist. l. c. ait, juniores mares & feminas generare liberos imperfectiores & minoris statura, cum illo tempore, quo nondum ad justam aetatem & incrementum pervenerunt, ex alimento parum redundet, unde fit ut pueri generent pueros.

38. Semen injectum utero, clauso (quod oblongum & transversum est, simile foramini quod glandi penis insculptum, quotiens autem dehiscit orbiculare redditur) orificio, suscipit & familiariter fovet, ut quasi fermentetur ac in lactis formam coaguletur, quorsum digritum intendit Job inquires: quasi lac coagulasti me,

B

39. Pri.

39. Primò autem fit segregatio, quâ partes seminis tenuiores, calidiores & spirituosæ intrò & in medium totius molis se recipiunt: crassa vero illas ambiunt, & circumcirca obvallant, velut ovum suâ membranulâ contegitur.

40. Ex partibus tenuioribus intrò collectis, simul efformantur (non tamen simul perficiuntur, & fiunt conspicua) omnes corporis partes, omnes dico, non tantum spermatica (ut vulgo malè dividuntur) sed etiam sanguinea. Nam tres illæ partes principes. Cor, Jecur (quæ maximè sunt sanguinea) & Cerebrum, primò omnium se conspectui offerunt specie trium bullarum seu guttarum, quas per totam seminis molem vagans spiritus fabricatur, ut loquitur Andr. Laurent. lib. 2. c. 12.

41. Partibus ita ruditer adumbratis (quod fit primâ septimanâ, unde Arist. 7. de histor. anim. c. 3. ait: si in septimum diem semen intus manserit, conceptum jam esse certum est) adfluit postea sanguis maternus, pro earundem nutritione & auctione, ut debitam consequantur magnitudinem. Omnis igitur pars duo in se habet, 1. stamen seu filamenta ex semine, 2. subtemen stamini permistum affusumq; ex sanguine, & per consequens, omnis pars est spermatica, omnisq; sanguinea.

42. Ex partibus seminis crassioribus generantur tria involucra, quorum extimum, quod crassius & validius Chorion appellatur, cui adheret placenta seu Jecur uterinum, ex quo vasa umbilicalia sanguinem & spiritum hauriunt & in corpus Embryonis (ita vocatur quando omnes partes sunt conspicua, quod in maribus censetur fieri primis 30. diebus, in feminino autem sexu 40. aut 42.) deferunt. Medium involucrum est tenuius, vocaturq; Allantois seu farciminalis, in quod per Urachum deponitur urina, quod frustra negat Ambros. Paræus in chyrurg. Intimum involucrum dicitur Amnios seu agnina membrana, ob molliem, continetq; sero-

sum

sum humorem, cui fetus mirabiliter in centro quasi innatus, ne usquam motu præcipue matris inordinato allidatur.

43. Vasa umbilicalia (dua sc. arteria perpetuo, dua vena ut plurimum, in quorum medio Urachus,) varie reperiuntur contorta, modo circa totum corpus, modo circa pedes, brachia &c.

44. Si umbilicus circa collum infantis convolutus, prædicant obstetrices eum suspendio periturum, quod falsum putamus.

45. Considerant etiam nodulos umbilici in primo partu, & ex horum nodorum numero conjiciunt totiens feminam posthac parituram; & si noduli præditi colore rubicundo masculam, si albo colore femellam fore prædicunt: demum si distantia nodorum à se invicem brevior, brevi iterum parituram dicunt, sed omnia sine ratione.

46. In genere ex nodis de multitudine vel paucitate futurarum conceptionum aliquod indicium desumi posse statuimus.

47. **SITUS** fetus, vel consideratur respectu matris, vel respectu sui.

78. Respectu matris fetus in utero ita collocatur, ut dorsum ejus interdum (non semper ut vult Varolius lib. 4. Anat. C. 5.) ad dextrum latus matris, interdum ad sinistram convertatur, sicq; unolaterè respiciat dorsum matris altero abdominis sedem anteriorem.

49. Mares ut plurimum in dextris, femella in sinistris locantur. Cujus rei ratio dependet à qualitate seminis feminini, (cujus accessione ad semen virile fetus in utero formatur) nec non sanguinis quo fetus efformatur, nutritur & augetur. Nam vena spermatica deferens materiam testiculis, (tam in viris quam feminis) in dextro latere oritur à trunco vena cava, infra venam emulgentem & renem, ubi sanguis à seroso hu-

more jam sequestratus & ob id purior, calidior, & perfectior. Vena autem sinistri lateris progreditur ab ipsa emulgente sinistra, ubi sanguis frigidior, aquosior & seroso humore permixtus. Unde sole adulto clarius fit, semen (muliebre) circa dextram uteri sedem occurrens, calidius perfectiusque esse, adeoque vigorem seminis virilis minus hebetare, quin potius in naturam masculam cum eo amice conspirare, cujus contrarium in sinistro latere contingit. Sanguis quoque nutriendo & augenda fetui destinatus, eandem ob causam in dextro latere est crassior, calidior & perfectior &c.

50. Respectu proprii corporis ordinariè ita situs, ut caput sursum (Columbus lib. 12. situm omnium frequentissimum esse, capite deorsum verso contra omnes veteres Hippocrat. Aristot. Galen. statuit) locatum, tum quia ibi uterus amplior, tum ne sanguinis copia obruatur: totum vero corpus est contractum ut planta pedum clunes attingant, & mentum genua.

51. Moveri incipiunt mares ut plurimum citius, famina tardius, quia hæc ob frigiditatem & imperfectionem seminis conformantur tardius. In maribus quoque motus est robustior & frequentior, in feminis rarior & imbecillior, ob majorem & minoremve calorem.

52. MOTUS alius est obscurior, qui observatur, si matre in dorsum recumbente & prorsus quiescente, regioni umbilicali manus admoveatur, quippe tunc aranea cujusdam velut subrepentis intra abdomen, sensu percipitur, de quo videtur intelligendus Atil. 7. de hist. anim. c. 3. scribens, mares circa 30. diem moveri, faminas circa 90. alius est evidentior, qui sentitur matre quomodocumque jacente aut se movente, quem forte an respexit Hippocrat. lib. de alim. asserens tempus partus duplicatum esse tempus motus, e.g. si intra 30. dies formatur, incipit moveri circa diem 60. alius denique evidentissimus,

alissimus, qui à matre vel aliud cogitante manifestè observatur, quod fit circa medium gestationis tempus, cum quadam tamen latitudine. Et ex hujus motus tempore solent mulieres tempus partus determinare.

53. PARTUS tempus ceteris quidem animalibus unicum est & statutum, homini uni multiplex datum. Nam & septimo mense, & octavo, & nono parere potest, & quod plurimum decimo, nonnulla etiam undecimum tangunt ait Arist. 7. de hist. anim. c. 4. Imo exstant exempla, quod duodecimo, 13, 14 mense pepererint.

54. Quales autem menses prisca intellexerint novisse multum refert, an solares, an lunares eosq; vel periodicos, vel synodicos, vel apparitionis, an deniq; tricenarios. Nobis admodum probabile videtur illos respexisse tricenarios, sic dictos quod præcisè 30. diebus constant, siquidem hi tum Græci, tum Ægyptiis suère adeò usitati, ut propterea etiam dicti fuerint menses Græci & Ægyptiaci.

55. Fatum octavo mense editum non esse vitalem multum hodie simpliciter dictum putant, cum tamen dumtaxat comparatè verum sit, nempe quod minus vitale.

56. Errorem igitur trecentos & nonaginta novem pedes longum errant JCTI Baldus, Traquell. & alij, dum partum octimestrem pro abortivo & illegitimo habent, qui nec donationem à patre sine liberis decedente factam revocare, nec testamentum rumpere possit.

57. Fetus irritatus necessitate tum refrigerationis majoris ab aère, quam requirit calor ejus ita adauctus ut per arterias sufficienter amplius sustentari nequeat, tum alimenti solidioris, caput versus uteri orificium convertit, & pedum manuumq; violentà versus omnem uteri partem impulsione, primo dilacerat amnium, mox allantoidem, post chorium, sicq;

profusis quibus innatabat humoribus, ipse tandem per uteri
orificium & pudendum matris, frequentissimè pronus, varius
supinus, in hanc miseriarum vallem prodit nudus & inops: in
quibus omnibus & singulis CREATORIS agnoscenda
POTENTIA, admiranda SAPIENTIA celebran-
da BONITAS, *Stia calame.*

Corollaria.

1. Fætus in utero constitutus, licet per vasa umbili-
calia matri cohæreat illiusq; sanguine nutriatur, non me-
retur tamen nuncupari propriè pars Matris, sed ad illam
non aliter se habet, ut pomum ad arborem.

2. Falsa est sententia Hieron. ab Aquapendente, in
fætu Hepar & Cor non fungi munere publico, & sangui-
nem à matre allatum depurare magisq; elaborare; sed si-
bimet ipsis solum nutriendis & augmentandis incum-
bere.

3. Mulieres in partu fæmellarum plus materiæ pu-
rulentæ profundere quam in partu Marium, istamq; pro-
fusionem diutius durare, constat tum experientiâ, tum
ipsius Jehovæ testimonio *Levit. cap. 12.* Quæritur autem,
num hujus rei causa aliqua Physica dari possit? Affirm.

4. Femellæ tardius conformantur quam mares, sed
postquam conformatæ, citius augentur & perfectionem
suam indispiscuntur. Mirum!

5. Mulieres secundum quid in mares converti pos-
se, testatur experientia, nec repugnat ratio.

6. Narrant ancillam in balneo semen à viro forte
diu antea ejectum attraxisse, & mox factam gravidam,
Quæritur an id fieri possit?

Præstan-

Præstantissimo & Doctissimo Viro-Juveni
Dn. JOANNI JACOBO SCULTETO
Argentoratensi Aphorismos de H-O-MI-
NIS GENERATIONE fortiter pro-
pugnanti.

H Aud secus, ac cernis gremio terra insita gra-
Non longe in tecto posse manere loco. (na
Sic vigor ingenij, sic mentis fervidus ardor,
Sic animi virtus prodit in alta caput.
Te in quoq; signa micant, tu mentis acumen JANNES
Profers, & fructus di-vite messe refers:
Pergito flos juvenum, tua faustè absolvito cœpta,
Sic clarum eximio nomen honore geres.

amicitiæ jure meritoq; debebam

Henricus Haselberg Rostoch.
Philatros.

Quis tibi poscenti, quod' poscit amabile veræ
Foedus amicitiæ, carmen Amice neget?
In versus quamvis veniat mihi nullus Apollo:
Credo tuis totus jam vacat ille sacris.
Nec mirum, ille tuus quod sit, cum totus & ipse,
Pervigil in partes adsis Amice suas.


An

An non, quod Regi Lydorum, fortè roganti
Tramite quo summum posset adire bonum?
Indixit Phæbus, benè noscere *ἠὲ δὲ σεαυτὸν*
Discipis, hocq; alios anne docere studes?
Scilicet humanas ut miris artibus artus
Natura efformet docta sine ingenio.
Quos primùm, quos dein, humili quæsis lotia fulcrum
Stercus tegmentum conditione parant.
Perge modò vigilax mentis lustrare recessus,
Et dium ulterius *ἠὲ δὲ σεαυτὸν* ama.
Virtuti emeritæ meritissima præmia spondet,
Teq; auctum lauru vult Deus ipse suâ.

*Amico sibi devotissimo hoc quicquid est
L M Q. sed propter temporis angustiam
soloci filo deproperabat*

JOHANNES Neutrang.





missimus, qui à matre vel aliud cogitante m
tur, quod sit circa medium gestationis temp
tamen latitudise. Et ex hujus motus temp
tempus partus determinare.

53. PARTUS tempus ceteris quidem
cum est & statutum, homini uni multiplex d
septimo mense, & octavo, & nono parere pote
mum decimo, nonnulla etiam undecimum tan
de hilt. anim. c. 4. Imo exstant exempla, qu
14 mense pepererint.

54. Quales autem menses prisci intelte
rum refert, an solares, an lunares eosq; vel pe
dicos, vel apparitionis, an deniq; tricenarios.
probabile videtur illos respexisse tricenario
precise 30. diebus constant, siquidem hi tu
gyptijs fuere adeo usitati, ut propterea etiam
ses Graci & Aegyptiaci.

55. Fatum octavo mense editum non
hodie simpliciter dictum putant, cum tamen
ratè verum sit, nempe quod minus vitale.

56. Errorem igitur trecentos & nona
longum errant JCTI Baldus, Traquell
zum octimestrem pro abortivo & illegitimo
nationem à patre sine liberis decedente fact
testamentum rumpere possit.

57. Fetus irritatus necessitate tum
joris ab aere, quam requirit calor ejus ita
terius sufficienter amplius sustentari neque
lidioris, caput versus uteri orificium conver
nuumq; violentà versus omnem uteri pari
mo dilacerat amnium, mox allantoidem,

B 3

